



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

16. Dies Avgvsti. Qui adoramus unum Patrem; quare non agnoscimus  
unam Matrem? S. Augustinus serm. degestis cum Emerito.
- 
- 

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

639

actiones , ac dona Filiorum , videntur propria parentum : quia si illis filiis benefaciunt , à parentibus acceperunt, undè possunt benefacere. Sic Filius Dei nihil potest negare Matri: cui debet , quod sit homo. Deinde, cùm det omnia per Matrem , jam eādem operā dat omnia Matri. Atque ita cogit nos illam venerari , & ad eam in quavis necessitate recurrere, ut nobis succurrat , cùm per illam necesse sit cuncta à Filio impetrare. Sicut igitur Christus ab illa accepit esse naturale , hoc est , naturam humanam : sic vult nos ab illa accipere esse supernaturale , hoc est , Gratiam Divinam : qua cùm simus adoptivi filii IESU: sumus & MARIÆ. Quid supereft , quām ut nos memores tanti beneficii , non simus immemores tanti debiti : sed si filii simus MARIÆ , faciamus opera MARIÆ : & sic tantis Parentibus pareamus , quod illis erit uberrima seges gaudii : quia

*Gaudet uterque Paren̄s , dum Filius est benē Paren̄s.*

## 16. DIES AVGUSTI.

Qui adoramus unum Patrem ; quare non agnoscimus unam Matrem ? *S. Augustinus serm. de gestis cum Emerito.*

Adoratio. I.

**U**T agnoscant omnes unam Matrem in terris : sicut adorant unum Patrem in cœlis ; res est magis voti , quām spei. Nos hīc de adorando uno Patre , compendio differemus. Inter actus Religionis, primus , est Adoratio , quā homo supremam Dei Majestatem omni demissione veneratur ; qui vocatur *latrīa* , & convenit

soli

soli Deo : & eam Anastasius Episcopus Theopholeos , vocat (a) *Emphasim honoris*. Gemina porro sunt Adorationis elementa : nostra vilitas ; Dei dignitas. Ex illa nascitur profunda humilitas : ex hac suprema Numinis reverentia. Quanta sit hominis infirmitas , hinc liquet : quod nihil tam proprium sit rei creatæ , quam ipsum nihil ; quod minus est , quam pulvis & cinis. Priusquam nos Deus procrearet , in nihilo fuimus : unde quis emicare in hunc mundum suis opibus utique potuisset ? si frui luce capimus , velut è cortina , monet pius Vates : (b) *Ipsa fecit nos , & non ipsi , nos*. Quidquid superstruxeris : alienum est , cœlestem munus , Dei donum. Unde ingen's oritur obligatio agnoscendæ summæ Dei erga nos beneficentia. Jam , si oculos à nobis reflectamus ad Autorem nostrum ; tanta est illius Majestas , tam immensa amplitudo ; ut in illius consideratione deficiat mens , & quasi vermiculi esse in terra videamur , nihil audientes , nihil intelligentes. Vastus quidam est omnium perfectionum oceanus , potentia omnibus metuendæ , mirandæ sanctitatis , circumclusus gloriæ. Omnia denique in eo sunt infinita. Ex his duobus benè exploratis , nascitur illa reverentia , animique dejectio ; in oculis Opificis Dei , cuius augustum Numen , excellentiamque veneramur.

II. Rem adumbro fictâ similitudine. Fingamus tabellæ pictæ ad exigui temporis intervallum , meatem , rationem , usum sermonis tribui. Jam expolita , quod illa ad beneficium agnoscendum , & honrandum Opificem sumin loqueretur ? Tu ô Appelles ! Pater , & Mater mihi es , Rex , Dominus , & quid-

(a) *In Synod. act. 4.* (b) *Psal. 99.3.*

Augustus.

Tessera.

641

quid nominum excogitari potest, ad testandum ju-  
stissimum in me dominatum: dum me circumspicio,  
nihil video, unde me suspiciam; quia nihil invenio  
meum, nihil quod non perfectum sit à te, & verè  
tuum. Si telam habeo, aut aliud materiæ genus; tu il-  
lam pecuniâ tuâ comparasti: si picturam: tu colore,  
umbram, & lumen adhibuisti: & hæc tanta, tamque  
amœna rerum varietas, tuæ manus; & penicilli opifi-  
cium est: omnia denique sunt à te. Ideò potes me si-  
ne ulla mei injuria, aut in profluentem abjecere un-  
dām, aut in flammam, aut in sterquilinum. Si quis  
laudet pulchritudinem meam; si exquisitam omnium  
colorum temperationem; si collocationem omnium  
rerum decoram: non merita mea, sed dona tua, in-  
dustriamque prædicaverit. Si fur mihi insidietur: si  
rodant mures: si noxius humor, aliaque noceant;  
nec mihi sunt manus, aut vis illa, quâ me in pericula  
tuear. Ideòque, te semper intueor, qui solus es mi-  
hi præsidium, & perfugium. Quid igitur reliquum  
est, quâm ut totum tuæ voluntati subjiciam, tuum  
nutum obseruem, adorem potentissimam tuam in  
me dominationem? Hæc, inquam, adumbratio est,  
sed rudis, & longè imperfectior, quâm ut rei digni-  
tatem possit attingere.

III. Intuere, ut te excites ad Dei adorationem,  
illud animatum in columna sanctimoniarum simula-  
chrum, Simeonem stylitem, qui ipsos octoginta an-  
nos columnæ instituit: nec alia tunc erat ejus occupa-  
tio, quâm vacare adorationibus per inclinationes  
continuas corporis ita profundas, ut viderentur à ca-  
pite ad pedes usque pertingere. Et fuit nonnemo,  
qui inclinationes hasce cœpit numerare: jamque ad

Pars II.

Sf

. duo

duo millia , ducentas viginti quatuor numerando pervenerat , uno die , cum subeunte tædio destituit . Tu opta non octoginta annos : verùm octoginta sa- cularum millions , & integrum insuper , si confe- queretur æternitatem ; ut toto hoc tempore testifi- cari possis formidabili Dei Majestati per consimiles adorationes corporis : quod nihil omnino sic adora- ri dignum sit , atque immensum ejus Numen . Nunc ergò , quantum potes , tantum te submitte corām illo , corām quo submittitur omnis altitudo , dicens : Ut intelligat mundus , quia agnoscō me figmentum manuum tuarum : te verò , supremum animæ meæ Principem , submississimam totius corporis reverentia me ad pedes infinitæ Majestatis tuæ abjicio , testor que hanc esse gloriam meam non modò summam , sed solam , quod sim aliquid tui , & nihil mei : & ita ad te spectans , ut pendeam ex Te totus , & esse meum omni modo Tibi , ceu toti suo necesse habeat adha- rere . Illud quoque opto , ut producere vitam ad mun- di usque interitum liceret , nec aliud in momenta singula vitæ meæ negotium foret , nisi per modum ho- magii , & subjectionis clientelaris , tot omnis generis adorationes facere , quot radios spargit mundi oca- lus , Sol , orbi huic universo lucem impariens . Sica- dorando , quidlibet exorabis , nisi vanus sit is , qui hoc panxit :

*Is facile exorat , supplex quis Numen adorat .*

### 17. DIES AUGUSTI.

*Qualis vis esse , dum Deum oras , talis semper esto .  
Sextus Pythagoricus in sententiis .*